

IOANNES STVR-
MIVS IACOBO STVR-
mio fratri s.



Vdiuisti sēpē, vt mēmini, ex
me, Iacobe frater, studiorū
nostrorum finem rerum co-
gnitionem, & orationis ele-
gātiā esse debere. Rerū
etiam doctrinam sine sapi-
entia religionis minimum prodesse: & dicen-
di rationem absq; optimorū scriptorum assī
dua lectione, atq; artificiosa imitatione non
comparari talem, qualem desideramus. Itaq;
sæpenumero dixi, si mēministi, ad religio-
nem pueros excitandos esse, & proponen-
dum illis in scholis Ciceronem: quorum alte-
ra mentem, alter linguam optimè possit in-
formare. Sed habēda ratio est, in educatione
linguæ, non solum ètatum, sed etiam virium
& ingeniorum. Ab epistolis principiū re-
stè sumi potest, si deligantur quæ argumen-
to faciles sunt, & sunt rerum non ignota-
rum, atq; huiusmodi verborum, quæ in no-
stra manferunt consuetudine. Hanc ratio-
nem ego in hisce tribus libris conficiendis

A 2 secutus

secutus sum: neq; artificiosissimè, neq; sapien-
tissimè scriptas epistolas delegi, sed quæ à
pueris intelligi possent, & haberent nostræ
consuetudinis verba, & sermonis quotidiana-
ni sententias, earumq; formas nobis quidem
non vñitatas, sed tamen apertas, & elegantes,
& doctas. Hos ego ad te mitto, quo videas
me in eadem adhuc esse sentētia , in qua fui
olim. Amabo te, mi optatissime frater, perge
porrò in hoc litterarum curriculo progredi.
Audio nihil de studijs tuis, absum procul:
metuo valde, cum cogito posse fieri, vt non
meis optatis, & patris expectationi satisfa-
cias. Expecto literas tuas, vt intelligam, tum
quantum profeceris, tum quantum de te
possimus deinceps sperare. Vale. Ar-
gentinæ tertio Kalendas

Februari. Anno

1539.

*Adiectus est ubiq; ad singula epistolia gemi-
nus numerus, quorum prior librorum,
posterior epistolarum cuiusq;
libri ordinem obseruat.*